



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 204. Bernardi de Sandoval Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1617. stolicam moderabatur Cathedram, primo Flaminix Provincix Gubernator, ac Presbyter Cardinalis titulo S. Pudencianæ, demum vero Tarentinus Archipræsul creabatur: Præter plurima, quæ PP. Theatinis contulerat, beneficia, suas quoque acerrimi ingenii dotes in Ecclesiæ utilitatem impendere studuit, atque obtenta etiam Purpura ipse in Ecclesia tituli sui, necnon in Ravennatensi Theatinorum Templo magna hominum frequentia conciones ad populum habuit. Tandem Romæ die vigesima nona Junii quinquagenarius animam suam Deo reddidit.

§. CCIV.

Bernardi de Sandoval Cardinalis extrema.

*Maracc. in
Purp. tom.
Ciacon. in
vita Clem.
VIII.*

Hunc eadem mortis necessitate sequebatur Bernardus de Sandoval & Roias natione Hispanus. Hic ab unguiculis in omnibus virtutum ac pietatis exercitationibus enutritus ad maximam Ecclesiæ spem, & illustrium Parentum gloriam adoleverat. Philosophicis ac Theologicis disciplinis in celeberrimis Hispaniæ Universitatibus probe imbutus, Sacræ militiæ nomen dedit, atque a Christophoro Hispalensi Archiepiscopo Patruo suo in Diæcesani Regi-

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

Regiminis partem aggregatus, a Philippo III. Hispaniarum Rege, cujus animum ob morum candorem, & virtutum præstantiam sibi totum devinxerat, primum ad Giennensem, postea Pampilonensem ac demum Rodriopolitanum Episcopatum nominabatur, quas omnes Ecclesias cum singulari prudentia, consilio, ac Religionis studio rexerat. Insuper eidem Regi a consiliis, supremusque Inquisitor, a Clemente vero VIII. Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas declaratus est, quibus tamen omnibus dignitatum titulis ornatus, nil a pristina sua modestia remisit, sed immote sine jactantia pius, sine superbia nobilis, sine invidia humilis, sine asperitate gravis, ob rara naturæ, felicitatisque dona spectabilis, comis, beneficus in omnes præcipue in Toletanam suam Ecclesiam, ac denique in pauperes effusissimus singulis annis scuta quinquaginta millia inter eos distribuit, in sacra autem ædificia, & Religiosos necnon pro tuenda fide Catholica vicies centena, & centum quinquaginta aureorum millia insumpsit. Ipsemet in Diœcesi rudimenta fidei docebat, Confessiones excipiebat, atque admirabili eloquentiæ vi præditus, e suggestu ad populum suum dicebat. Toleti

Hist. Eccles. Tom. LV.

Yy quo-

Sæc. XVII. quoque Synodum celebrabat, corre-
A. C. 1617. ctisque Clericorum moribus, leges op-
 timo Pastore dignissimas fanciebat, ple-
 bemque suam verbo & exemplo in sa-
 cris exercitationibus usque ad postre-
 mum vitæ habitum instituens, tandem
 die septima Decembris Madriti septua-
 genario major meritorum mercedem a
 Deo recepit, in Ecclesia Toletana se-
 pultus.

§. CCV.

*Diversæ Constitutiones ac decisiones
 a S. Congregationibus emanatæ.*

*Decif. S.
 Cong. Epif.
 & Reg. &
 S. Rituum.*

Emergentibus variis circa ritus dubiis
 Sacræ Congregationes auctoritate
 summi Pontificis hoc anno diversas edi-
 derunt Constitutiones, quas inter die
 decima Januarii Sacra Congregatio E-
 piscoporum & Regularium declaravit,
 quod consensus solius Rectoris sufficiat,
 ut in ejus Ecclesia sæculari possint Re-
 gulares celebrare: die autem decima
 quarta ejusdem Mensis statutum, quod
 Crux in supplicationibus deferenda sit
 a Regularibus cum velo pendente &
 quod Vicario Generali sedenti in choro,
 licet supra Canonicos, thurificatio ta-
 men duplici, non autem triplici ductu
 turribuli debeat, si tamen non sit
 Prælati, nec Episcopus possit statuere
 ut